



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 6. Martyrium S. Stephani.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

usus; quod magna certe austeritas in regione calida. Soli licebat sanctuarium intrare, nunquam lanea, sed linea veste tecto. Inveniebatur in templo genuflexus pro populo deprecans, ita ut ex orationis protractione genua ejus, ut camelii, obcalluerint. Ob virtutis excellentiam justus dictus est, Syriace *oblia*, id est, agger populi; seu potius *opblia*, quod est Dei munimentum. Gubernavit Ecclesiam Jerosolymitanam viginti novem annis.

Sæculum I.

A. C. 34.

Hegejip. 5.

hist. ap. Euf.

II. hist. c. 23.

§. VI.

Martyrium S. Stephani.

S. Stephanus, Diaconorum primus, ple-
nus gratia, & fortitudine edebat magna miracula, libere prædicans Jesum Christum. Ideo quidam Judæorum ex provinciis insurrexerunt in eum. Erant quidam eorum libertini, quod est, ex servitute manumissi; nam tales a Romanis in Italiam servi abducti fuerant, postea libertate donati. Erant aliqui Cyrenæi, illorum nempe posteritas, quos Ptolomæorum primus in illam Africæ partem transtulerat, aliqui denique ex Alexandria, ex Cilicia, & Asia. Cum S. Stephanus resistere disputando non possent; falsos testes excitarunt, qui eum blasphemiam in Moysen, & Deum accusarent; dixisse

Martyrium

S. Stephani.

Act. 6. 8.

Jos. cont.

App. l. 2.

p. 1603.

Sæculum I. dixisse JESUM Nazarenum locum sanctum
A. C. 34. everfurum, & traditiones mutaturum.
 Ergo capitur, & in Concilium adducitur,
Act. 7. 1. ubi doctrinæ suæ rationem exposuit, de-
 monstrans ex historia populi electi, a tem-
 pore Abraham, & Prophetarum testimo-
Lev. 24. 14. niis, veram Religionem non esse terræ
 sanctæ affixam, aut templo. Judæos, a
 Deo missos liberatores, semper rejecisse;
 & Dei Spiritui semper restitisse. Hac o-
Cod. Tal. ratione in furorem acti, extra urbem tra-
Sanhed. c. ctum, lapidaverunt; hoc enim erat soli-
VII. n. 4. tum blasphemix, & seductionis suppli-
 cium.

Inter alios summe in Stephanum ex-
 arserat homo juvenis ex Cilicia, nomine
Deut. 17. 7. Saulus. Is testium pallia custodivit, qui
Sanhed. c. 5. juxta legem primi lapides in reum mit-
n. 4. tebant. S. Stephanus moriens in genua
 procidit, voce magna clamans: Domine!
 ne imputes illis hoc peccatum. Fuit pri-
 mus Martyrum, græce testis, cum primus
 omnium in testimonium Doctrinæ JESU
Act. 8. 2. Christi mortuus sit. Viri pii eum sepeli-
 verunt magno luctu, eo quod scirent eun-
 dem contra fas condemnatum, qui enim
Sanhed. c. 6. secundum legem erant damnati, Patrum
n. 5. 6. sepultura, & consueto luctu privabantur.
 Ajunt, quosdam lapides, quibus S. Ste-
Aug. ser. 32. phanus fuit impetitus, a fidelibus reser-
de div. alias vatos in rei memoriam.
323. n. 2.

Interim

Interim magna persecutione in Ecclesia Jerosolymæ orta, Fideles, exceptis Apostolis, per Judæam, & Samariam dispersi. Multi etiam Jerosolymæ incarcerati, multi necati, id cum aliis suadente Saulo. Ipso auctore, impetrata ad id ipsum potestate a Principe Sacerdotum, multi puniti, multi Nomen Jesu Christi blasphemare coacti; intrabat domos, quoscunque comprehendens viros, & mulieres, vinculis dandos. Sic divisi fideles non tantum per Palæstinam, sed etiam Phœniciam, Cyprum, & usque Antiochiam quasi latius sparsum semen facti sunt, ut fructus multiplicarentur; ubicunque enim annuntiabant Evangelium, hæcenus tamen solis Judæis. Discipulorum unus Ananias Damascum venit, ibique fidelium Ecclesiam congregavit.

Sæculum I.

A. C. 34.

Act. 8. 1.

Act. 26. 10.

Act. 8. 3.

Act. 11. 19.

Athanas. hom.
de sem. p.

1062.

§. VII.

Conversio Samaritæ.

Philippus, Diaconorum secundus, Samaritæ Jesum Christum prædicabat; quamvis enim Samaritani a Judæis haberentur hæretici, tamen inter gentiles non reputabantur. Servabant circumcisionem, cultumque veri Dei juxta legem Moysis profitebantur. Ingentibus prodigiis Philippus Samaritanorum animos in se convertit; multi baptizati, & tota

Act. 8.

Hist. Eccles. Tom. I.

B

civi-